



1. De-us, De-us me-us, réspi-ce in me : † qua-re me de-  
2 1

*reliquí- sti? \* longe a sa-lú-te me-a verba de-lictó-rum  
me-ó- rum. Flexa : ex ú-te-ro : †*

2. Deus meus, clamábo per diem, et *non exáudies* : \* et nocte, et non ad insipiéntiam **mihi**.

3. Tu autem in *sancto hábitas*, \* laus **Israël**.

4. In te speravérunt *patres nostri* : \* speravérunt, et liberásti eos.

5. Ad te clamavérunt, et *salvi facti sunt* : \* in te speravérunt, et non sunt **confúsi**.

6. Ego autem sum vermis, et *non homo* : \* opprórium hóminum, et abjéctio **plebis**.

7. Omnes vidéntes me, *derisérunt me* : \* locúti sunt lábiis, et móvérunt **caput**.

8. Sperávit in Dómino, erípiat eum : \* salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

9. Quóniam tu es, qui extraxísti *me de ventre* : \* spes mea ab ubéribus matris **meae**.

10. In te projéctus sum ex útero : † de ventre matris meae Deus **meus es** tu, \* ne discésseris a me :

11. Quóniam tribulátio **próxima** est : \* quóniam non est qui **adjuvet**.

12. Circumdedérunt me *vítuli multi* : \* tauri pingues obsedérunt me.

13. Aperuérunt super *me os suum*, \* sicut leo rápiens et **rúgiens**.

14. Sicut *aqua effúsus sum* : \* et dispérsa sunt ómnia ossa **mea**.

15. Factum est cor meum tamquam *cera liquéscens* \* in médio ventris **mei**.

16. Aruit tamquam testa virtus mea, † et lingua mea adhaésit fáucibus **meis** : \* et in púlverem mortis deduxísti me.

17. Quóniam circumdedérunt me *canes multi* : \* concílum malignántium obsédit me.

18. Fodérunt manus meas et *pedes meos* : \* dinumeravérunt ómnia ossa **mea**.

19. Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : † divisérunt sibi vestiménta **mea**, \* et super vestem meam misérunt **soratem**.

20. Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium *tuum a me* : \* ad defensióñem meam **cónspice**.

21. Erue a frámea, Deus, *ánimam meam* : \* et de manu canis únicam **meam**.

22. Salva me ex *ore leónis* : \* et a córnibus unicórniū humilitátem **meam**.

23. Narrábo nomen tuum frátribus **meis** : \* in médio ecclésiae laudábo te.

24. Qui timébis Dóminum, laudáte eum : \* univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

25. Tímeat eum omne *semen Israël* : \* quóniam non sprevit, neque despéxit deprecationem **páuperis**.

26. Nec avértit fáciem *suam a me* : \* et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

27. Apud te laus mea in ecclésia **magna** : \* vota mea reddam in conspéctu timéntium **eum**.

28. Edent páuperes, et saturabúntur : † et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : \* vivent corda eórum in saéculum **saéculi**.

29. Reminiscéntur et converténtur ad **Dóminum** \* univérsi fines **terrae**.

30. Et adorábunt in conspéctu ejus \* univérsae famíliae **géntium**.

31. Quóniam Dómini est **regnum** : \* et ipse dominábitur **géntium**.

32. Manducavérunt et adoravérunt omnes *pingues terrae* : \* in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in **terram**.

33. Et ánima mea *illi vivet* : \* et semen meum sérviet ipsi.

34. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : † et annuntiábunt caeli justítiam ejus pópulo *qui nascétur*, \* quem fecit **Dóminus**.